HIERONYMUS

Klosterneuburg, 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

diebus ezechie. Letatus est in aduentu le
gatorum marodach. quem patrem fuisse na
buchodonosor iudei autumant. et in
oblatione munerum et congratulatione
sanitatis suę: ostenditque eis iuxta lxx
domum nechotá. pro quo symmachus trans
tulit arómatum suorum et thesauros ar
genti. et auri et odoramentorum et unguenti
optimi. quod in hebraico scribitur olei boni.
et omnes thesauros uasorum gale siue ut
ibi legitur uasorum suorum. Gaza autem lingua
persarum diuicię nuncupantur. nec est
hebreus sermo sed barbarus. Non fuit in
quit uerbum quod iuxta hebraicam con
suetudinem pro re frequenter accipitur. quod
non ostenderit ei in domo sua. et in omni
potestate sua. Unde dei ira iustissima.
quod non solum thesauros suos atque pa
lacii. sed templi ostenderit. quod certe
fuit potestatis eius. de cuius ualuis au
ri lamminas ante iam tulerat. Intro
iuit autem esaias propheta ad regem ezechi
am. et dixit ei. Quid dixerunt uiri isti.
et unde uenerunt ad te. Et dixit eze
chias. De terra longinqua uenerunt ad me
de babylone. Et dixit. Quid uiderunt
in domo tua. Et dixit ezechias. Om
nia quę in domo mea sunt uiderunt. non
fuit uerbum siue res quam non ostende
rim eis in thesauris meis. Et dixit esay
as ad ezechiam. Audi uerbum domini exerci
tuum. Ecce dies uenient. et auferentur omnia
quę in domo tua sunt. et quę thesauri
zauerunt patres tui usque ad diem hanc
in babylonem. non relinquetur quicquam dicit
dominus. et de filiis tuis qui egredientur
ex te. et quos genueris tollent. et

erunt eunuchi in palacio regis babylo
nis. Et dixit ezechias ad esaiam. Bonum
uerbum domini quod locutus est. Et ait. Fiat
tantum pax et ueritas in diebus meis.
Tradunt hebrei ideo egrotasse ezechiam
quod post inauditam uictoriam iudeorum
et assyrii regis interitum non cecinerit
laudes deo. quas cecinit moyses pharaone
submerso. et debora interfecto sysara. et
anna cum genuit samuelem. unde com
monitum esse fragilitates suas. rursumque
post corporis sanitatem et sui magnitudi
nem offerri aliam occasionem superbie.
quam ut prudens et dei cultor uitare
debuerat. nec monstrare alienigenis
diuicias suas quas deo tribuente pos
sederat. Ex quo iuxta legis quoque tro
pologiam discimus non mittendas mar
garitas ante porcos. nec dandum sanctum
canibus. Qui enim fidelis est spiritu. abscon
dit negocia. et quicumque hoc fecerit. omnis
uirtus illius eneruatur. perditque posteritatem.
et amisso uirili robore in muliebrem
redigitur mollitudinem. Ingreditur ergo e
saias ad regem. et quasi nescius sciscitatur.
Quid dixerunt uiri isti. et unde uenerunt.
Duo interrogat quid locuti sunt et unde
uenerunt. ille ad unum respondit. altero
pretermisso. quod cum emfatico et supercilio
legendum est. De terra longinqua uenerunt
ad me de babylone. quod quanto terra lon
gior sit unde uenerunt. tanto iste glo
riosior propter quem uenerunt. Et uenerunt in
quit ad me qui debuerat dicere. ue
nerunt ad glorificandum dominum pro signi
magnitudine de babylone. que
urbs in toto orbe potentissima est.